An. et vol. CIII 4 Novembris 2011 N. 11

ACTA APOSTOLICAE SEDIS

COMMENTARIUM OFFICIALE

Directio: Palazzo Apostolico – Città del Vaticano – *Administratio:* Libreria Editrice Vaticana

ACTA BENEDICTI PP. XVI

LITTERAE DECRETALES

Quibus beatae Catharinae Volpicelli Sanctorum honores decernuntur.

BENEDICTUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM

« Ancillae operantur ad Deum e vinculis liberandum in quae homines coniecerunt Eum ».

Ita beata Catharina Volpicelli, testis fidelis et apostola intrepida amoris Dei, scribebat omnes hortans ad Cor Christi sicut humanitatis « stabilem mansionem » contuendum.

Die XXI mensis Ianuarii anno MDCCCXXXIX Neapoli est nata, e familia medii ordinis civium et profundae fidei christianae. Primum domi, postea apud Regale Collegium Sancti Marcellini, sapienter ducta a Serva Dei Margarita Salatino, quae simul cum beato Ludovico a Casoria, fundatrix erit Sororum Franciscanarum a sancta Elisabeth, solidam accepit humanam christianamque institutionem nec non culturalem formationem, apud puellas illius temporis inusitatam. A Spiritu Sancto deinde compulsa, qui ei revelabat Dei consilium per vocem sanctorum et sapientium moderatorum spiritualium, beata Catharina, quae interim vitam etiam mundanam gerebat, a fluxis divitiis elegantis et solutae vitae illius aetatis libenter abhorruit, ut firma decisione vocationi adhaereret quae ad

sanctitatis perfectionem incitabat eam. Beata Volpicelli intuita est Illum qui totum hominibus se tradidit in Pane Vitae Aeternae, in Eucharistia videlicet, centrum constituere eius vitae et indicium ad omnem rem amplectendam et verum sensum cuiusque realitatis intellegendum. Ex quo omnis eius opera nascitur, e desiderio videlicet singulis viris singulisque mulieribus Evangelium proponendi, quod illo in Pane continetur, cum libertate spiritus, alacritate et idoneitate creativa, patientia, dialogo et simplicitate. Fortuitum colloquium cum beato Ludovico de Casoria, die XIX mensis Septembris anno MDCCCLIV, apud conventum «La Palma», Neapoli, fuit, sicut ipsa Beata testatur, «peculiare exstitit signum Gratiae praevenientis, caritatis et Sacri Cordis praedilectionis, suae Servae aerumnas amantis». Beatus aggregavit eam ad Ordinem Franciscanum Saecularem ac veluti unicum propositum eius vitae ostendit illi cultum Sacri Cordis Iesu, eamque hortatus est ut in societate maneret, in qua «animarum piscatrix» fieret. Deinde Consilio obsequens sui confessarii, patris Leonardi Matera, Barnabitae, die XXVIII mensis Maii anno MDCCCLIX inter Adoratrices Perpetuas a Iesu Sacramentato ingressa est, ex quibus tamen paulo post ob graves valetudinis condiciones est egressa. Aliud erat divinum circa Catharinam consilium. Quod bene beatus Ludovicus intellexit, qui ei saepe dicere solebat: «Cor Iesu, o Catharina, haec est opera tua!». Ita, confessario suadente, Volpicelli menstruum folium Gallicum de orationis Apostolatu prae oculis habuit et statim diploma accepit Promotricis, primum quod Neapolim venit. Mense Iulio anno MDCCCLXVII pater Ramière Palatium Neapolitanum invisit vulgo «Largo Petrone alla Salute», ubi Catharina propositum alit sedem suorum operum apostolicorum instituendi «ad amorem Iesu Christi in cordibus, in familiis atque in societate instaurandum». Primae promotrices etiam erunt primae Catharinae in apostolatu sociae implendo atque in constituendo Instituto Ancillarum a Sacro Corde, cuius regulae die IV mensis Iulii anno MDCCCLXXIV, ab Archiepiscopo olim Neapolitano, Servo Dei Cardinale Sixto Riario Sforza, sunt approbatae. Amor beatae Catharinae Volpicelli erga Sanctissimum Sacramentum cum sinceritate et cohaerentia confirmat indomitam fidelitatem erga Ecclesiam et Christum in periodo profundae spiritualis et socialis discriminis in societate Neapolitana alterius dimidiae partis saeculi XIX. Nitebatur «ad Christum pertinere ut alios ad Christum perduceret». Arcana eius ars prosperitatis continua exstitit eius constans cum Christo in Eucharistia communio. Catharina mulier est spiritalis renovationis: expetit conversionem quae cor

in radice, cogitationes, sensus, decisiones et optiones commutet. Eodem tempore conversionem expetit ut vitam specificam transformet et argumenta operativa exsistentiae. Indolem contemplativam et mysticam in se coalescere scivit cum apostolico missionarii ardore. In ea activa contemplatio thesauri Misericordiae in Sacro Corde servati imitatio fit et precatio, motus animi efficitur catechesis. Mulier «cordis compassionis» Sanctuarium Sacro Cordi Iesu dicatum, Neapoli, destinat ad adorationem reparatricem quam Papa postulavit ad Ecclesiam sustinendam tam difficili in aetate pro religiosa libertate et propagatione Evangelii. Beata Catharina Volpicelli pie in Domino Neapoli obdormivit die XXVIII mensis Decembris anno MDCCCXCIV, suam offerens vitam pro Ecclesia et pro Summo Pontifice.

Fama sanctimoniae, qua in vita fruebatur, post mortem est prosecuta, quamobrem Archiepiscopus Neapolitanus, Cardinalis Villelmus a Sancto Felice, iam anno MDCCCXCVI incohavit Causam Beatificationis Canonizationisque per Processum Ordinarium, anno MCMII conclusum. Omnibus de iure impletis, Summus Pontifex Pius XII, die XXV mensis Martii anno MCMXLV declaravit Catharinam virtutes heroico modo exercuisse. Venerabilis Servus Dei Ioannes Paulus II, die XXVIII mensis Iunii anno MCMXCIX, Congregationi de Causis Sanctorum facultatem tribuit ut Decretum super miraculo promulgaret atque die XXIX mensis Aprilis anno MMI Romae ritui praefuit Beatificationis. Anno MMII domina Teresia Ruggiero, e loco vulgo Meta, prope Neapolim, ultra XX annos gravi diabete mellito affecta, inopinater est sanata. Consilium Medicorum Congregationis de Causis Sanctorum agnovit sanationem sub luce scientiae medicae inexplicabilem fuisse. Consultores theologi, die XXIX mensis Aprilis anno MMVIII, attente examinantes attributionem sanationis intercessioni beatae Catharinae Volpicelli, affirmative responderunt. Etiam Patres Cardinales et Episcopi idem censuerunt in Ordinaria Sessione, die XVIII mensis Novembris anno MMVIII, congregati. Nosmet Ipsi facultatem Congregationi de Causis Sanctorum dedimus ut Decretum super miraculo die VI mensis Decembris anno MMVIII promulgaret. Die XXI mensis Februarii anno MMIX in Consistorio sollemniter Canonizationem beatae Catharinae Volpicelli decrevimus. Hodie igitur, die videlicet XXVI mensis Aprilis anno MMIX, Romae in foro Petriano inter Missarum sollemnia hanc pronuntiavimus formulam:

Ad honorem Sanctae et Individuae Trinitatis, ad exaltationem fidei catholicae et vitae christianae incrementum, auctoritate Domini nostri

Iesu Christi, beatorum Apostolorum Petri et Pauli ac Nostra, matura deliberatione praehabita et divina ope saepius implorata, ac de plurimorum Fratrum Nostrorum Consilio, Beatos Archangelum Tadini, Bernardum Tolomei, Nonium a Sancta Maria Álvares Pereira, Gertrudem Comensoli et Catharinam Volpicelli Sanctos esse decernimus et definimus, ac Sanctorum Catalogo adscribimus, statuentes eos in universa Ecclesia inter Sanctos pia devotione recoli debere.

In nomine Patris et Filii et Spritus Sancti.

Spectabilis haec mulier, quae constanter vitam gessit Eucharistico Convivio nutrita et Dei Misericordia suffulta, claras dedit pietatis operumque bonorum testificationes et nobis exemplar proponitur. Quocirca eius patrocinium ferventer invocemus, eiusque Christianas curemus imitandas virtutes.

Quae autem his Litteris decrevimus, nunc et in posterum rata et firma esse volumus, contrariis quibuslibet rebus minime obstantibus.

Datum Romae, apud S. Petrum, die sexto et vicesimo mensis Aprilis, anno Domini bis millesimo nono, Pontificatus Nostri quinto.

EGO BENEDICTUS
Catholicae Ecclesiae Episcopus

Marcellus Rossetti, *Protonot. Apost.*



Loco ✠ Plumbi
In Secret. Status tab., n. 156.058

LITTERAE APOSTOLICAE MOTU PROPRIO DATAE

QUIBUS ANNUS FIDEI INCOHATUR

BENEDICTUS PP. XVI

1. *Porta fidei* (cfr *Act* 14, 27) semper nobis patet, quae in communionem cum Deo nos infert datque copiam eius Ecclesiam ingrediendi. Limen illud transiri potest, cum Dei Verbum nuntiatur atque cor informante gratia fingitur. Quidquid est, illam portam transire idem est ac iter facere, quod tota vita producitur. Idem Baptismi gratia incohatur (cfr *Rom* 6, 4), per quem Deum Patris nomine vocare possumus, et, per transitum ex morte ad vitam aeternam, ad finem perducitur, quae ex Domini Iesu resurrectione oritur, qui, Spiritus Sancti dono, sua in gloria quotquot in ipsum credunt implicare voluit (cfr *Io* 17, 22). Fidem profiteri erga Trinitatem — Patrem, Filium et Spiritum Sanctum — idem est atque in unum, qui Amor est, Deum credere (cfr *1 Io* 4, 8): Patrem qui plenitudine temporum pro nostra salute Filium suum misit; Iesum Christum, qui in suae mortis et resurrectionis mysterio mundum redemit; Spiritum Sanctum qui procedentibus saeculis in exspectatione Domini reditus Ecclesiam dirigit.

2. Inde a Nostro incohato ministerio veluti Petri Successor necessitatem memoravimus fidei iter denuo detegendi ut in lucem laetitia et renovatum studium Christum conveniendi liquidius usque proferantur. In homilia in sancta Missa habita, cum initium faceremus Nostri pontificatus, diximus: « Ecclesia tota, et in ea Pastores, sicut Christus iter suscipere debent, ut homines ex solitudine traherent ducerentque ad locum vitae, ad amicitiam cum Dei Filio, ad Eum qui dat vitam, vitam in plenitudine ».[1] Iam non raro fit ut christiani de socialibus, culturalibus politicisque consectariis sui muneris magis sollicitentur, fidem putantes in communi convictu manifesto esse praesumendam. Sed reapse haec praesumptio non modo iam non est talis, verum etiam saepe vel negatur.[2] Cum actis temporibus agnosci potuerit una

[1] *Homilia in sancta Missa habita in sollemni initio ministerii summi Ecclesiae Pastoris* (24 Aprilis 2005): *AAS* 97 (2005), 710.

[2] Cfr Benedictus XVI, *Homilia in sancta Missa in Terreiro do Paço,* Olisipone (11 Maii 2010: *Insegnamenti* VI, 1 (2010), 673.

quaedam cultus conformatio, quae late reciperetur, quod fidei praecepta eiusque contenta bona attinebat, hodie in magnis societatis partibus non ita videtur, fide funditus in discrimine versante, quod complures personas attigit.

3. Pati non possumus ut sal evanescat ac lux abscondatur (cfr *Mt* 5, 13-16). Hodiernus quoque homo necessitatem denuo animadvertere potest, sicut Samaritana, puteum petendi ut audiat Iesum, qui invitat ad credendum in se et suo salienti ex fonte aquam vivam ad hauriendam (cfr *Io* 4, 14). Iterum gustum detegere debemus nos Dei Verbo alendi, quod Ecclesia fideliter transmittit, et vitae Pane, quae ad eius discipulos sustentandos praebentur (cfr *Io* 6, 51). Etenim Iesu doctrina etiam nostris diebus eadem vi personat: «Operamini non cibum, qui perit, sed cibum, qui permanet in vitam aeternam» (*Io* 6, 27). Id quod ab auscultantibus postulabatur hodie quoque pro nobis viget: «Quid faciemus, ut operemur opera Dei?» (*Io* 6, 28). Iesu responsionem novimus: «Hoc est opus Dei, ut credatis in eum, quem misit ille» (*Io* 6, 29). In Iesum Christum itaque credendo ad salutem consummate pervenitur.

4. Harum rerum sub lumine statuimus ut Annus fidei indiceretur. Is die XI mensis Octobris anno MMXII incohabitur, ab incepto Concilio Vaticano II quinquagesima incidente anniversaria memoria, eidemque die XXIV mensis Novembris anno MMXIII, in sollemnitate D. N. Iesu Christi universorum Regis finis imponetur. Ipso recurrente die XI mensis Octobris anno MMXII viginti etiam explebuntur anni a publica editione *Catechismi Catholicae Ecclesiae*, cuius textus a Nostro Praedecessore, beato Papa Ioanne Paulo II,[3] promulgatus est ad vim et pulchritudinem fidei omnibus fidelibus illustrandam. Hoc documentum, authenticus fructus Concilii Vaticani II, ab Extraordinaria Synodo Episcoporum anno MCMLXXXV exoptatum est tamquam instrumentum ad catechesim promovendam,[4] quod per sociatam operam totius Episcopatus Ecclesiae Catholicae est paratum. Et Nos Ipsi convocavimus Coetum Generalem Synodi Episcoporum, mense Octobri anno MMXII celebrandum, cuius argumentum inscribitur *Nova evangelizatio ad christianam fidem tradendam.* Eventus ille opportunus erit ad totam Ecclesiae compagem introducen-

[3] Cfr IOANNES PAULUS II, Const. ap. *Fidei depositum* (11 Octobris 1992): *AAS* 86 (1994), 113-118.

[4] *Relatio finalis Coetus Extraordinarii secundae Synodi Episcoporum* (7 Decembris 1985), II, B. a. 4: in *Enchiridion Vaticanum,* vol. 9, n. 1797.

dam in tempus quo peculiaris instruatur meditatio et fides iterum detegatur. Haud primum fit ut Ecclesia ad *Annum fidei* celebrandum vocetur. Anno MCMLXVII Veneratus Decessor Noster, Dei Servus Paulus VI similem annum indixit, ut martyrium Apostolorum Petri et Pauli commemoraretur, XIX saeculo eorum supremae testificationis vertente. Id cogitavit veluti sollemne quiddam, ut universa Ecclesia « eandem fidem vere et sincere » profiteretur; ipse porro voluit ut ea confirmaretur « singularis et publica, libera et conscia, interior et exterior, humilis et prompta ».[5] Ipse enim sentiebat Ecclesiam universam hoc modo acturam esse « ad plenam et rectam adipiscendam conscientiam fidei suae, ad eandemque excitandam, renovandam, confirmandam, profitendam ».[6] Magnae immutationes illius anni, clariorem huius celebrationis necessitatem reddiderunt. Quam celebrationem ad finem adduxit *sollemnis professio fidei Plebis Dei*,[7] ut significaretur quantopere essentialia principia, quae ex saeculis omnium credentium constituunt patrimonium, confirmatione, intellectione et pervestigatione, ratione usque renovata, indigeant, ad congruam testificationem reddendam in historicis condicionibus, quae aliae sunt ac superiorum temporum.

5. Quibusdam sub aspectibus Veneratus Decessor Noster hunc Annum quandam « consecutionem et necessitatem postconciliarem »[8] respexit, prorsus sibi illius temporis gravium difficultatum conscius, praesertim quod ad veram fidem profitendam eandemque recte interpretandam attinent. Censuimus Annum fidei incohari, quinquagesimo anno transacto a Concilio Vaticano II incepto, opportunam dare occasionem, ut intellegatur scripta, hereditate a Patribus accepta, ad beati Ioannis Pauli II verba, « *pretium non amittere nec fulgorem.* Necesse est ut congruenter legantur et noscantur et approprientur uti textus idonei et directorii Magisterii, in ambitu Ecclesiasticae Traditionis ... ut quam maxime assumimus officium ostendendi Concilium uti *summam gratiam qua Ecclesia saeculo XX est ditata*: in eo nobis tutissimus offertur index ad iter hoc ineunte saeculo detegendum ».[9] Nos quoque magnopere id confirmare volumus quod de Concilio paucis post

[5] PAULUS VI, Adhort. ap. *Petrum et Paulum Apostolos*, saeculo XIX expleto postquam Sancti Apostoli Petrus et Paulus martyrium subierunt (22 Februarii 1967): *AAS* 59 (1967), 196.

[6] *Ibid.*, 198.

[7] PAULUS VI, *Sollemnis professio fidei* pronuntiata ante Basilicam Petrianam die XXX mensis Iunii anno MCMLXVIII, anno a fide vocato, et saec. XIX a martyrio SS. Petri et Pauli App. expletis (30 Iunii 1968): *AAS* 60 (1968) 433-445.

[8] ID., Audientia Generalis (14 Iunii 1967): *Insegnamenti* V (1967), 801.

[9] Ep. ap. *Novo millennio ineunte* (6 Ianuarii 2001), 57: *AAS* 93 (2001), 308.

mensibus a Nostra ad Petri Successoris munus electione diximus: «Si id legimus ac recta hermeneutica percipimus, ipsum esse fierique magis ac magis potest magna vis ad Ecclesiam renovandam, quod est semper necessarium».[10]

6. Ecclesiae renovatio etiam per vitae credentium testificationes fit: nam suam per exsistentiam in mundo christiani ad veritatis Verbum collustrandum vocantur, quod Dominus Iesus nobis reliquit. Ipsum Concilium in Constitutione dogmatica de Ecclesia *Lumen gentium* asseruit: «Dum vero Christus, "sanctus, innocens, impollutus" (*Heb* 7, 26) peccatum non novit (*2 Cor* 5, 21), sed sola delicta populi repropitiare venit (cfr *Heb* 2, 17), Ecclesia in proprio sinu peccatores complectens, sancta simul semper purificanda, paenitentiam et renovationem continuo prosequitur. "Inter persecutiones mundi et consolationes Dei peregrinando procurrit" Ecclesia, crucem et mortem Domini annuntians, donec veniat (cfr *1 Cor* 11, 26). Virtute autem Domini resuscitati roboratur, ut afflictiones et difficultates suas, internas pariter et extrinsecas, patientia et caritate devincat, et mysterium Eius, licet sub umbris, fideliter tamen in mundo revelet, donec in fine lumine pleno manifestabitur».[11]

Hoc in rerum prospectu *Annus fidei* ad veram renovatamque conversionem in Dominum invitat, unum mundi Salvatorem. In eius mortis resurrectionisque mysterio Deus Amoris plenitudinem revelavit, qui salvat et homines per remissionem peccatorum ad vitae conversionem vocat (cfr *Act* 5, 31). Ad Pauli Apostoli mentem hic Amor ad vitam novam hominem perducit: «Consepulti ergo sumus cum illo per baptismum in mortem, ut quemadmodum suscitatus est Christus a mortuis per gloriam Patris, ita et nos in novitate vitae ambulemus» (*Rom* 6, 4). Per fidem vita haec nova totam hominis exsistentiam radicitus ex resurrectionis novitate fingit. Secundum eius liberam facultatem, cogitationes et affectus, mens et mores hominis pedetemptim purificantur et transformantur in iter quoddam, quod numquam hac in vita completur. «Fides, quae per caritatem operatur» (*Gal* 5, 6) nova fit intellectus actionisque regula, quae totam hominis vitam commutat (cfr *Rom* 12, 2; *Col* 3, 9-10; *Eph* 4, 20-29; *2 Cor* 5, 17).

7. «*Caritas Christi urget nos*» (*2 Cor* 5, 14): est Christi amor qui corda nostra implet ac nos ad evangelizandum impellit. Ipse, hodie sicut illo tem-

[10] *Allocutio ad Romanam Curiam* (22 Decembris 2005): *AAS* 98 (2006), 52.

[11] Conc. Oecum. Vat. II, Const. dogm. de Ecclesia *Lumen gentium*, n. 8.

pore, nos mittit ut per mundi semitas suum Evangelium cunctis terrae populis proclamemus (cfr *Mt* 28, 19). Suo quidem amore omnium generationum homines ad se trahit Iesus Christus: omni tempore convocat ipse Ecclesiam, ei Evangelium nuntiandum committens, veluti mandatum quod semper est novum. Quapropter hodie quoque studiosius ecclesiale opus pro nova evangelizatione est necessarium, ut denuo in actu credendi detegatur laetitia atque in fide communicanda iterum reperiatur studium. In quotidie eius amore detegendo vim vigoremque haurit credentium missionale munus, quod numquam deficere potest. Fides namque adolescit, cum veluti recepti amoris experientia habetur cumque uti gratiae laetitiaeque experientia communicatur. Fecundos ea facit, utpote cum in spe cor dilatet atque sinit ut testificatio capax generandi praebeatur: etenim cor mentemque aperit illorum qui audiunt ad accipiendum Dominum invitantem, ut eius Verbo adhaereant eiusque discipuli fiant. Credentes, ut sanctus Augustinus ait, « credendo praemuniuntur ».[12] Sanctus Episcopus Hipponensis iure meritoque hoc modo disserebat. Sicut scimus, eius vita continuata fuit inquisitio de fidei pulchritudine, donec eius cor in Deo requiesceret.[13] Complura eius scripta, quibus praestantia credendi fideique veritas collustrantur, nostris quoque temporibus veluti incomparabilium divitiarum patrimonium manent et efficiunt ut multae personae Deum requirentes rectum iter ad « portam fidei » petendam reperiant.

Itaque credendo tantum fides crescit et roboratur; nulla alia datur facultas de propria vita habendi certitudinem nisi quis plus plusque amoris manibus se committit, quem maiorem usque experitur, quandoquidem ex Deo oritur.

8. Hac in fausta anniversaria memoria, Fratres Episcopos totius orbis invitare intendimus ut cum Successore Petri coniungantur, tempore sane spiritalis gratiae quam nobis tribuit Dominus ad pretiosum fidei donum memorandum. Hunc *Annum* digne ac fecunde celebrare cupimus. Meditatio de fide confirmetur oportet ut omnes in Christum credentes fulciantur ad suam Evangelio adhaesionem magis consciam reddendam eamque corroborandam, potissimum hac aetate profundae mutationis, cui nunc humanum subicitur genus. Nobis facultas dabitur fidem profitendi in Dominum surrectum nostris in ecclesiis cathedralibus et in templis totius mundi; nostris in domibus et

[12] *De utilitate credendi*, 1, 2.

[13] Cfr Augustinus Hipponensis, *Confessiones*, I, 1.

apud nostras familias, ut unusquisque vehementius compellatur ad illam perpetuam fidem melius cognoscendam et futuris generationibus tradendam. Religiosae communitates sicut illae paroeciales, omniaque ecclesialia instituta, vetera et nova, modum invenient hoc *Anno* symbolum *Credo* publice profitendi.

9. Optamus ut hic *Annus* in singulis credentibus studium excitet *confitendi* fidem in plenitudine renovataque persuasione, fiducia et spe. Opportuna erit occasio fidei in liturgia *celebrationem* studiosius agendi, atque potissimum in Eucharistia quae « est culmen ad quod actio Ecclesiae tendit et simul fons unde omnis eius virtus emanat ».[14] Eadem ratione, optamus ut vitae credentium *testificatio* crescat in credibilitatem. Detegere iterum argumenta fidei quam profitemur, celebramus, vivimus et oramus,[15] necnon meditari de eodem actu quo creditur, munus constituunt quod singuli credentes, potissimum hoc *Anno*, sibi assumere debent.

Non casu christiani primis saeculis symbolum *Credo* memoriae mandare tenebantur. Quod quidem cotidiana fuit illis precatio, ne munus in baptismate sumptum obliviscerentur. Verbis summa significatione ditatis sanctus Augustinus hoc memorat, dum in *Sermone* de *redditione symboli* dicit: « Sacrosancti mysterii Symbolum, quod simul accepistis, et singuli hodie reddidistis, verba sunt in quibus matris Ecclesiae fides supra fundamentum stabile, quod est Christus Dominus, solidata firmatur. (...) Accepistis ergo, et reddidistis, quod animo et corde semper retinere debetis, quod in stratis vestris dicatis, quod in plateis cogitetis, et quod inter cibos non obliviscamini; in quo etiam dormientes corpore, corde vigiletis ».[16]

10. Hanc ad rem velimus iter delineare ad altius scrutanda non solum fidei argumenta, sed etiam simul cum iis actum quo omnino ac plena in libertate Deo plane confidere decernimus. Alta enim exstat coniunctio inter actum quo creditur et argumenta quibus assentimus. Apostolus Paulus in hanc realitatem ingredi sinit scribens: « Corde enim creditur ad iustitiam, ore autem confessio fit in salutem » (*Rom* 10, 10). Cor significat primum actum, quo ad fidem perducitur, donum Dei esse et actionem gratiae agentis et transformantis personam usque ad eius intimum.

[14] Conc. Oecum. Vat. II, Const. de sacra Liturgia *Sacrosanctum Concilium*, n. 10.
[15] Cfr Ioannes Paulus II, Const. ap. *Fidei depositum* (11 Octobris 1992): *AAS* 86 (1994), 116.
[16] Augustinus Hipponensis, *Sermo* 215, 1.

Ad rem quod attinet exemplum Lydiae est perquam conspicuum. Sanctus Lucas narrat Paulum, Philippis adstantem, die sabbatorum Evangelium quibusdam nuntiare mulieribus, quas inter Lydia versabatur cuius « Dominus aperuit cor intendere his, quae dicebantur a Paulo » (*Act* 16, 14). Doctrina, quae in sententia includitur, magni est momenti. Sanctus Lucas docet cognitionem argumentorum ad credendum sufficientem non esse, nisi postea cor, verum personae sacrarium, aperiatur auxilio gratiae quae sinit oculos habere ad altius inspiciendum, et intellegere id quod nuntiatum est Verbum Domini esse.

Ore vicissim profiteri significat fidem publicam testificationem et munus requirere. Numquam christianus cogitare potest actum credendi esse actum privatum. Fides deliberationem requirit cum Domino manendi ad vitam cum Ipso gerendam. Hoc quidem « cum Illo manere » introducit ad rationes intellegendas ob quas creditur. Fides, cum actus sit libertatis, socialem etiam postulat responsalitatem rei quae creditur. Ecclesia die Pentecostes clare demonstrat hanc publicam dimensionem credendi et sine timore propriam fidem unicuique personae nuntiandi. Donum est Spiritus Sancti quod ad missionem aptos nos reddit et nostram corroborat testificationem, quam liberam efficit et strenuam.

Eadem fidei professio actus est personalis et simul communitarius. Est enim Ecclesia primum fidei subiectum. In christianae communitatis fide unusquisque baptisma accipit, efficax signum ingrediendi in populum credentium ad salutem obtinendam. Sicut affirmat *Catechismus Catholicae Ecclesiae*: « “Credo”: est fides Ecclesiae quam unusquisque credens personaliter profitetur, praesertim cum baptizatur. “Credimus”: est fides Ecclesiae quam Episcopi in Concilio profitentur congregati vel generalius quam liturgica credentium profitetur congregatio. “Credo”: est etiam Ecclesia, Mater nostra quae Deo fide respondet sua nosque docet dicere: “Credo”, “Credimus” ».[17]

Ut adverti potest, cognitio argumentorum fidei essentialis est ad proprium ferendum *assensum*, id est ad plene adhaerendum cum intellegentia et voluntate iis quae Ecclesia proponit. Cognitio fidei introducit in plenitudinem mysterii salvifici a Deo revelati. Itaque assensus qui datur, cum creditur, implicat liberam acceptationem totius mysterii fidei, quia sponsor eius veritatis ipse est Deus qui se revelat et suum amoris mysterium perspici permittit.[18]

[17] *Catechismus Catholicae Ecclesiae*, 167.

[18] Cfr Conc. Oecum. Vat. I, Const. dogm. de fide catholica *Dei Filius*, cap. III, *DS* 3008-3009; Conc. Oecum. Vat. II, Const. dogm. de divina revelatione *Dei Verbum*, 5.

In culturali autem nostro contextu oblivisci non possumus complures homines, etiamsi fidei donum in se ipsis non agnoscentes, sincero tamen animo novissimum sensum et consummatam veritatem de exsistentia et de mundo exquirere. Haec exquisitio verum est ad fidem « praeambulum », quia personas ad semitam impellit, quae ad Dei mysterium ducit. Etenim in ipsa hominis ratione exigentia inest « illius quod valet semperque manet ».[19] Haec exigentia est perenne invitamentum, in hominis corde indelebiliter insculptum, ad iter suscipiendum ut Is inveniatur quem non requireremus nisi iam nobis obviam venisset.[20] Ad hunc ipsum occursum fides nos invitat et in plenitudine nos aperit.

11. Ut accedant ad ordinatam argumentorum fidei cognitionem, omnes in *Catechismo Catholicae Ecclesiae* pretiosum et necessarium subsidium invenire possunt. Hoc documentum habetur inter maioris ponderis fructus Concilii Vaticani II. In Constitutione Apostolica *Fidei depositum*, non casu subsignata trigesimo expleto anno ab inauguratione Concilii Vaticani II, beatus Ioannes Paulus II scripsit: « Adiuvabit hic Catechismus totius vitae ecclesialis renovationem... Eum declaramus firmam regulam ad fidem docendam, ideoque validum legitimumque instrumentum pro ecclesiali communione ».[21]

Hac quidem in ratione *Annus fidei* secum ferat oportebit omnium munus ad iterum reperienda et perscrutanda praecipua fidei argumenta quae in *Catechismo Catholicae Ecclesiae* suam ordinatam et organicam synthesim inveniunt. Hic, revera, ubertas emergit doctrinae quam Ecclesia in bimillennaria sua historia accepit, custodivit ac praebuit. Percurrens a Sacris Scripturis ad Ecclesiae Patres, a Magistris theologiae ad Sanctos qui saecula transierunt, *Catechismus* permanentem offert memoriam tantae varietatis qua Ecclesia de fide deque adepta doctrinae progressione meditata est ad certitudinem dandam credentibus eorum in fidei vita.

Sua ex ipsa structura, *Catechismus Catholicae Ecclesiae* progressum fidei ostendit usque ad magna attingenda cotidianae vitae argumenta. In evolvendis eius paginis, colligitur res descriptas constituere non theoriam, sed occursum cum quadam Persona quae in Ecclesia vivit. Nam fidei professio-

[19] Benedictus XVI, *Allocutio Lutetiae Parisiorum ad viros culturae deditos apud Collegium a Bernardinis* (12 Septembris 2008): *AAS* 100 (2008), 721-730.

[20] Cfr Augustinus Hipponensis, *Confessiones*, XIII, 1.

[21] Ioannes Paulus II, Const. ap. *Fidei depositum* (11 Octobris 1992): *AAS* 86 (1994), 115 et 117.

nem explanatio vitae sacramentalis sequitur, in qua Christus praesens est et operans, atque Ecclesiam suam aedificare pergit. Sine liturgia et sine sacramentis professio fidei efficacitatem non haberet, cum deesset ei gratia qua christianorum testificatio sustinetur. Eadem ratione, doctrina *Catechismi* de vita morali totam suam assequitur significationem si haec ad fidem, liturgiam et orationem refertur.

12. Itaque hoc *Anno Catechismus Catholicae Ecclesiae* verum esse poterit instrumentum ad fidem sustinendam, praesertim eorum quibus cordi est christianorum formatio, in nostro contextu culturali perquam decretoria. Hoc de proposito Congregationem pro Doctrina Fidei, consentientes cum ceteris Sanctae Sedis competentibus Dicasteriis, invitavimus ut *Notam* fingeret, quae Ecclesiae credentibusque quaedam indicia praeberet, ut hunc *fidei Annum* efficacioribus et aptioribus modis exigeretur, in servitium actus credendi et evangelizandi.

Nam fides magis quam praeterito tempore subiecta versatur plurimis quaestionibus derivantibus ex mutata mentis condicione, quae praecipue aetate nostra rationales certitudines ad inventiones scientificas et technologicas contrahit. Attamen Ecclesia numquam timuit ostendere quomodo inter fidem et authenticam scientiam nulla dari possit dissensio, quoniam utraque, etiamsi diversas per vias, ad veritatem vertitur.[22]

13. Hoc vertente *Anno* decretorium erit fidei nostrae historiam percurrere, in qua imperscrutabile mysterium implicationis inter sanctitatem et peccatum conspicitur. Dum sanctitas magnum ostendit subsidium quod viri mulieresque vitae testimonio obtulerunt ad communitatis incrementum et progressum, peccatum autem sinceram et constantem operam conversionis suscitare debet in omnibus, ut experiantur misericordiam Patris qui cunctis obvenit.

Hoc quidem tempore noster vertetur intuitus in Iesum Christum, « ducem fidei et consummatorem » (*Heb* 12, 2). In ipso enim omnis labor et anhelitus humani cordis consummatur. Amoris laetitia, responsio ad tormentum passionis et doloris, robur veniae prae suscepta offensione atque vitae victoria prae mortis vacuitate, haec omnia consummationem inveniunt in mysterio eius Incarnationis, cuius vi homo factus est, et nobiscum humanam infirmi-

[22] Cfr Ioannes Paulus II, Litt. Enc. *Fides et ratio* (14 Septembris 1998), nn. 34 et 106: *AAS* 91 (1999), 31-32, 86-87.

tatem participavit ut eam virtute suae Resurrectionis transformaret. In ipso, mortuo et resuscitato pro nostra salute, plenam lucem reperiunt fidei exempla quibus duo haec millennia nostrae historiae salutis sunt signata.

Per fidem Maria excepit Angeli verbum et credidit annuntiationi, nempe quod Mater Dei fieret in oboeditione propriae deditionis (cfr *Lc* 1, 38). Visitans Elisabeth suum extulit canticum laudis Altissimo pro miris quae operabatur in omnibus qui sese Ei concredunt (cfr *Lc* 1, 46-55). Laetanti et commoto animo peperit unicum Filium suum, intactam servans virginitatem (cfr *Lc* 2, 6-7). Confidens Ioseph, suo Sponso, Iesum in Aegyptum portavit ut eum ab Herodi persecutione eriperet (cfr *Mt* 2, 13-15). Eadem cum fide secuta est Dominum in eius praedicatione et cum Eo ad Golgotha usque mansit (cfr *Io* 19, 25-27). Cum fide Maria gustavit fructus resurrectionis Iesu et, omnem memoriam in corde suo conferens (cfr *Lc* 2, 19.51), commisit eam Duodecim secum in Cenaculo congregatis ut Spiritum Sanctum susciperent (cfr *Act* 1, 14; 2, 1-4).

Per fidem Apostoli reliquerunt omnia ut Magistrum sequerentur (cfr *Mc* 10, 28). Crediderunt verbis quibus ipse Regnum Dei nuntiabat praesens et sua in persona perfectum (cfr *Lc* 11, 20). Vixerunt in communione vitae cum Iesu qui erudiebat eos sua doctrina, relinquens illis novam vitae regulam, cuius vi post eius mortem tamquam eius discipuli innotescerent (cfr *Io* 13, 34-35). Per fidem mundum universum lustraverunt, mandato obtemperantes Evangelium omni creaturae praedicandi (cfr *Mc* 16, 15), et quovis dempto timore omnibus nuntiaverunt gaudium resurrectionis quam fideliter sunt testificati.

Per fidem discipuli instituerunt primam communitatem congregatam circa doctrinam Apostolorum, in oratione, in celebratione Eucharistiae, omnia quae possidebant in commune ponentes ut necessitatibus fratrum subvenirent (cfr *Act* 2, 42-47).

Per fidem martyres suam vitam deposuerunt ad testificandam veritatem Evangelii quae eos transformaverat et aptos effecerat ut pervenirent usque ad maximum amoris donum ignoscentes propriis persecutoribus.

Per fidem viri et mulieres vitam suam consecraverunt Christo, relinquentes omnia ut in evangelica simplicitate viverent oboedientiam, paupertatem et castitatem, signa concreta exspectationis Domini qui sine mora advenit.

Per fidem plurimi christiani operam promoverunt pro iustitia ut efficax redderent verbum Domini qui venit ad nuntiandam liberationem a captivitate et annum gratiae omnibus (cfr *Lc* 4, 18-19).

Per fidem, saeculorum decursu, viri et mulieres cuiusque aetatis, quorum nomina scripta sunt in Libro vitae (cfr *Apc* 7, 9; 13, 8), confessi sunt pulchritudinem sequendi Dominum Iesum illuc quo vocabantur ut praeberent testimonium tamquam christiani: in familia, in opere, in vita publica, in charismatibus exercendis et ministeriis ad quae invitabantur.

Per fidem nos quoque vivimus: per Dominum Iesum veraciter agnitum, in nostra exsistentia historiaque praesentem.

14. *Annus fidei* favens quoque erit occasio testimonium caritatis roborandi. Memorat sanctus Paulus: «Nunc autem manet fides, spes, caritas, tria haec; maior autem ex his est caritas» (*1 Cor* 13, 13). Acutiore quoque sententia, quae per saecula christianos perurget, apostolus Iacobus affirmat: «Quid proderit, fratres mei, si fidem quis dicat se habere, opera autem non habeat? Numquid poterit fides salvare eum? Si frater aut soror nudi sunt et indigent victu cotidiano, dicat autem aliquis de vobis illis: "Ite in pace, calefacimini et saturamini", non dederitis autem eis, quae necessaria sunt corporis, quid proderit? Sic et fides, si non habeat opera, mortua est in semetipsa. Sed dicet quis: "Tu fidem habes, et ego opera habeo". Ostende mihi fidem tuam sine operibus, et ego tibi ostendam ex operibus meis fidem» (*Iac* 2, 14-18).

Fides sine caritate fructum non fert, et caritas sine fide est veluti animi impulsio constanter dubio subiecta. Fides et caritas invicem se requirunt, ita ut altera alteri cuiusque iter peragere sinat. Etenim haud pauci christiani vitam suam cum amore impendunt pro eo qui in solitudine vivit, recusatus seu exclusus, ac si primus esset cui esset occurrendum ac potissimum subveniendum, quoniam in eo Christi vultus re ipsa resplendet. Propter fidem vultum resuscitati Domini agnoscere possumus in iis qui nostrum requirunt amorem. «Quamdiu fecistis uni de his fratribus meis minimis, mihi fecistis» (*Mt* 25, 40): haec enim verba constituunt monitum non obliviscendum et perennem invitationem ad rependendum hunc amorem quo ipsemet curam de nobis adhibet. Fides sinit ut Christus agnoscatur eiusque amor nos impellit ut succurramus ipsi quoties in vitae itinere proximus noster efficitur. Fide confirmati, nostrum munus in mundo spe conspicimus, exspectantes «novos vero caelos et terram novam ... in quibus iustitia habitat» (*2 Pe* 3, 13; cfr *Apc* 21, 1).

15. Vergens iam ad vitae finem, apostolus Paulus a Timotheo discipulo expetit «sectare fidem» (*2 Tim* 2, 22) eadem constantia qua a pueritia

fruebatur (cfr *2 Tim* 3, 15). Audimus hanc adhortationem in unumquemque nostrum conversam, ut nemo in fide piger efficiatur. Ipsa nos comitatur in vita quae permittit ut novo usque intuitu mirabilia percipiamus quae Deus pro nobis adimplet. Intendens contueri signa temporis nostrae hodiernae historiae, fides unumquemque nostrum incitat ut vivum efficiamur signum praesentiae Resuscitati in mundo. Mundus hodie praecipue indiget credibili testificatione eorum qui, in mente et corde a Verbo Domini illuminati, cor et mentem plurimorum hominum aperire valent ad desiderium Dei veraeque vitae quae finem non habet.

« Sermo Domini currat et glorificetur » (*2 Thess* 3, 1). Utinam hic *Annus fidei* nexum cum Christo Domino firmiorem usque reddat, quia in Eo tantummodo adest certitudo respiciendi futurum aevum et sponsio amoris authentici et duraturi. Petri Apostoli verba extremum lucis radium in fidem proiciunt: « In quo exsultatis, modicum nunc si oportet contristati in variis tentationibus, ut probatio vestrae fidei multo pretiosior auro, quod perit, per ignem quidem probato, inveniatur in laudem et gloriam et honorem in revelatione Iesu Christi. Quem cum non videritis, diligitis; in quem nunc non videntes, credentes autem, exsultatis laetitia inenarrabili et glorificata, reportantes finem fidei vestrae salutem animarum » (*1 Pe* 1, 6-9). Christianorum vita experientiam complectitur sive laetitiae sive tribulationis. Quot Sancti experti sunt solitudinem! Quot credentes nostra quoque aetate Dei silentio probantur, cum eius vocem solacii audire velint! Aerumnae vitae, dum percipere sinunt mysterium Crucis atque participare passiones Christi (cfr *Col* 1, 24), praeludium constituunt ad laetitiam et spem ad quas fides conducit: « Cum enim infirmor, tunc potens sum » (*2 Cor* 12, 10). Nos credimus firma certitudine Dominum Iesum de malo ac de morte triumphavisse. Hac valida fiducia nos Ei committimus; Ipse inter nos est, maligni potestatem vincit (cfr *Lc* 11, 20) et Ecclesia, visibilis communitas misericordiae eius, in Eo tamquam signum permanet definitivae reconciliationis cum Patre.

Hoc tempus gratiae Deiparae committimus, quae proclamata est « beata, quae credidit » (*Lc* 1, 45).

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, die XI mensis Octobris, anno MMXI, Pontificatus Nostri septimo.

BENEDICTUS PP. XVI

LITTERAE APOSTOLICAE

Venerabili Dei Servae Teresiae Manganiello Beatorum honores decernuntur.

BENEDICTUS PP. XVI

Ad perpetuam rei memoriam. — « Libentissime igitur potius gloriabor in infirmitatibus meis, ut inhabitet in me virtus Christi. Propter quod placeo mihi in infirmitatibus, in contumeliis, in necessitatibus, in persecutionibus et in angustiis, pro Christo: cum enim infirmor, tunc potens sum » (*2 Cor* 12, 9-10).

Totam per vitam Venerabilis Serva Dei Teresia Manganiello, iuvenis laica et Franciscalis Tertiaria, aperta fuit ad experiendam Passionem et Crucem Domini. Die I mensis Ianuarii anno MDCCCXLIX nata est in loco vulgo Montefusco, ex archidioecesi Beneventana, atque sequente die baptizata. Et cum aetatis septem et viginti fere annos ageret, die IV mensis Novembris anno MDCCCLXXVI, terrestre iter suum conclusit. Undecima filia e familia quadam rustica, rustica ipsa, dolores iam in annis infantiae et adulescentiae pertulit, quos inter domesticas et agrarias fatigationes transegit. A puerilibus mundi gaudiis aliena, morum demonstravit rectitudinem singularemque cordis puritatem simul cum oratione et dedito servitio. Etiamsi illiterata, claras testificationes dedit singularis maturitatis mentis. Duodecim annos nata, privatim emisit virginitatis votum atque iuvenis constanter matrimonii proposita haud pauca recusavit.

Cum viginti annos esset nata, eius iam nota singularis humana et spiritalis maturitas miro modo crescere potuit in schola Tertii Ordinis Franciscalis, qui eius in pago nativo a patre Ludovico Acernese, ex Capuccinorum Ordine, est institutus. Iuvenis Teresia ei nomen dedit et, die XV mensis Maii anno MDCCCLXX, spirituali ducente moderatore, miros adimplevit in via sanctitatis progressus secundum spiritum Pauperculi Assisiensis. Paupertatis amore inflammata, fidelissime servavit oboedientiam et heroum in modum spiritum vixit paenitentiae. Prae oculis patris Ludovici, sui confessarii, eminens exstitit Tertiariae exemplar. Dum integra vota et regulas Tertii Ordinis servabat, conventum ingredi voluit, sed Dominus hanc gratiam numquam dedit ei, eam relinquens in tribulatione, etiamsi pater Acernese, qui propositum nutriebat novam instituendi religiosam familiam, ac

Teresiam uti exemplum et primam moderatricem constituendi. Fervens erga Eucharistiam et Passionem Domini iuvenis Tertiaria vivam coniunxit erga proximum flammam caritatis, qua frequentem etiam familiam amplectebatur, tot pauperes per rusticam domum transeuntes, mendicos et infírmos, quibus diligentes praestabat curas per herbas a se ipsa excultas.

Anno MDCCCLXXIV dum Eucharisticam participabat celebrationem sanguinis vomitu est affecta, quem alii sunt prosecuti qua de causa infirma permansit quosdam per menses; hoc tempore mira dedit mansuetudinis exempla et doloris laetae acceptationis. In Domino die IV Novembris anno MDCCCLXXVI noctu obdormivit, dum simul populus mortem «sanctae monachae» lugebat. Quinque transactis annis, die VIII mensis Decembris anno MDCCCLXXXI, pater Ludovicus Acernese Congregationem condidit Sororum Franciscalium Immaculatinarum, quae Christum sequi sibi proposuit secundum spiritum Venerabilis Servae Dei Teresiae Manganiello, earum «inspiratricis et spiritalis matris».

Constans sanctitatis fama quae sequentibus decenniis memoriam comitata est defunctae Tertiariae, Archiepiscopum Beneventanum induxit ut Causam instrueret Beatificationis Canonizationisque, anno MCMXCI peractam. Consultores Historici die XXV mensis Martii anno MM et, deinde, Consultores Theologi in Congressu Peculiari die XXVI mensis Octobris anno MMVII, ac tandem Patres Cardinales et Episcopi in Sessione Ordinaria die II Iunii anno MMIX edixerunt Servam Dei virtutes heroicum in modum exercuisse. Nosmet Ipsi Congregationi de Causis Sanctorum facultatem fecimus ut huiusmodi Decretum die III mensis Iulii anno MMIX promulgaret. Servatis omnibus iuris legibus, examini subiecta est sanatio Hermanni D'Alfonso, quae, in Congressu Medico die II mensis Iulii anno MMIX iudicata est inexplicabilis sub luce scientiae medicae. Sanatio intercessioni Venerabilis Servae Dei Teresiae Manganiello est adscripta a Consultoribus Theologis in Congressu Peculiari die XXII mensis Septembris anno MMIX atque a Patribus Cardinalibus et Episcopis in Sessione Ordinaria die XVI mensis Novembris anno MMIX. Nosmet Ipsi Congregationi de Causis Sanctorum facultatem fecimus ut die XIX mensis Decembris anno MMIX Decretum super miro promulgaret. Decrevimus deinde ut Beatificationis ritus die XXII mensis Maii anno MMX Beneventi in Italia perageretur.

Hodie igitur Beneventi de mandato Nostro Venerabilis Frater Angelus Amato S.D.B., Archiepiscopus titulo Silensis atque Congregationis de Causis Sanctorum Praefectus, textum Litterarum Apostolicarum legit, quibus

Nos in Beatorum numerum adscribimus Venerabilem Servam Dei Teresiam Manganiello:

Nos, vota Fratris Nostri Andreae Mugione, Archiepiscopi Metropolitae Beneventani, necnon plurimorum aliorum Fratrum in Episcopatu multorumque christifidelium explentes, de Congregationis de Causis Sanctorum consulto, auctoritate Nostra Apostolica facultatem facimus ut Venerabilis Serva Dei Teresia Manganiello, virgo Tertii Ordinis Sancti Francisci, inspiratrix Congregationis Sororum Franciscalium Immaculatinarum, quae brevem vitam suam dicavit orationi, paenitentiae et indigentibus iuvandis, Beatae nomine in posterum appelletur, eiusque festum die decima quinta Maii in locis et modis iure statutis quotannis celebrari possit.

In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti.

Clara haec mulier diligentem ostendit spiritalem progressum, vitae cotidianae in fiducia et laetitia exemplum, Christi eiusque Ecclesiae dilectionem, atque insignia dedit pietatis testimonia quae profecto nos admirari possumus, voluntatem Dei intellegere et perficere ardenti animo conantes. Dum autem illius conspicimus vitam, quae Redemptorem hominum etiam variis in difficultatibus fideliter est secuta, praeceptum caritatis diligentiore semper modo servans, ad altiorem usque in cotidiana vita imitationem Salvatoris incitamur adque sanctitatem et proprii status perfectionem prosequendam invitamur.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, die altero et vicesimo mensis Maii, anno Domini bismillesimo decimo, Pontificatus Nostri sexto.

De mandato Summi Pontificis

Tharsicius card. Bertone

Secretarius Status

Loco ✠ Plumbi

In Secret. Status tab., n. 102.124

HOMILIAE

I

Neocastri in Eucharistica celebratione.*

Cari fratelli e sorelle!

È grande la mia gioia nel poter spezzare con voi il pane della Parola di Dio e dell'Eucaristia. Sono lieto di essere per la prima volta qui in Calabria e di trovarmi in questa Città di Lamezia Terme. Porgo il mio cordiale saluto a tutti voi che siete accorsi così numerosi e vi ringrazio per la vostra calorosa accoglienza! Saluto in particolare il vostro Pastore, Mons. Luigi Antonio Cantafora, e lo ringrazio per le cortesi espressioni di benvenuto che mi ha rivolto a nome di tutti. Saluto anche gli Arcivescovi e i Vescovi presenti, i Sacerdoti, i Religiosi e le Religiose, i rappresentanti delle Associazioni e dei Movimenti ecclesiali. Rivolgo un deferente pensiero al Sindaco, Prof. Gianni Speranza, grato per il cortese indirizzo di saluto, al Rappresentante del Governo ed alle Autorità civili e militari, che con la loro presenza hanno voluto onorare questo nostro incontro. Un ringraziamento speciale a quanti hanno generosamente collaborato alla realizzazione della mia Visita Pastorale.

La liturgia di questa domenica ci propone una parabola che parla di un banchetto di nozze a cui molti sono invitati. La prima lettura, tratta dal libro di Isaia, prepara questo tema, perché parla del banchetto di Dio. È un'immagine — quella del banchetto — usata spesso nelle Scritture per indicare la gioia nella comunione e nell'abbondanza dei doni del Signore, e lascia intuire qualcosa della festa di Dio con l'umanità, come descrive Isaia: « Preparerà il Signore degli eserciti per tutti i popoli, su questo monte, un banchetto di grasse vivande... di vini eccellenti, di cibi succulenti, di vini raffinati ».[1] Il profeta aggiunge che l'intenzione di Dio è di porre fine alla tristezza e alla vergogna; vuole che tutti gli uomini vivano felici nell'amore verso di Lui e nella comunione reciproca; il suo progetto allora è di eliminare la morte per sempre, di asciugare le lacrime su ogni volto, di far scomparire la condizione disonorevole del suo popolo, come abbiamo ascoltato.[2] Tutto questo suscita

* Die 9 Octobris 2011.

[1] *Is* 25, 6.

[2] vv. 7-8.

profonda gratitudine e speranza: « Ecco il nostro Dio, in lui abbiamo sperato perché ci salvasse; questi è il Signore in cui abbiamo sperato; rallegriamoci, esultiamo per la sua salvezza ».[3]

Gesù nel Vangelo ci parla della risposta che viene data all'invito di Dio — rappresentato da un re — a partecipare a questo suo banchetto.[4] Gli invitati sono molti, ma avviene qualcosa di inaspettato: si rifiutano di partecipare alla festa, hanno altro da fare; anzi alcuni mostrano di disprezzare l'invito. Dio è generoso verso di noi, ci offre la sua amicizia, i suoi doni, la sua gioia, ma spesso noi non accogliamo le sue parole, mostriamo più interesse per altre cose, mettiamo al primo posto le nostre preoccupazioni materiali, i nostri interessi. L'invito del re incontra addirittura reazioni ostili, aggressive. Ma ciò non frena la sua generosità. Egli non si scoraggia, e manda i suoi servi ad invitare molte altre persone. Il rifiuto dei primi invitati ha come effetto l'estensione dell'invito a tutti, anche ai più poveri, abbandonati e diseredati. I servi radunano tutti quelli che trovano, e la sala si riempie: la bontà del re non ha confini e a tutti è data la possibilità di rispondere alla sua chiamata. Ma c'è una condizione per restare a questo banchetto di nozze: indossare l'abito nuziale. Ed entrando nella sala, il re scorge qualcuno che non l'ha voluto indossare e, per questa ragione, viene escluso dalla festa. Vorrei fermarmi un momento su questo punto con una domanda: come mai questo commensale ha accettato l'invito del re, è entrato nella sala del banchetto, gli è stata aperta la porta, ma non ha messo l'abito nuziale? Cos'è quest'abito nuziale? Nella Messa in Cena Domini di quest'anno ho fatto riferimento a un bel commento di san Gregorio Magno a questa parabola. Egli spiega che quel commensale ha risposto all'invito di Dio a partecipare al suo banchetto, ha, in un certo modo, la fede che gli ha aperto la porta della sala, ma gli manca qualcosa di essenziale: la veste nuziale, che è la carità, l'amore. E san Gregorio aggiunge: « Ognuno di voi, dunque, che nella Chiesa ha fede in Dio ha già preso parte al banchetto di nozze, ma non può dire di avere la veste nuziale se non custodisce la grazia della Carità ».[5] E questa veste è intessuta simbolicamente di due legni, uno in alto e l'altro in basso: l'amore di Dio e l'amore del prossimo.[6] Tutti noi siamo invitati ad essere commensali del Signore, ad entrare con la fede al suo banchetto, ma dobbiamo indossare

[3] v. 9.
[4] Cfr *Mt* 22, 1-14.
[5] *Homilia* 38, 9: *PL* 76, 1287.
[6] Cfr *ibid.*,10: *PL* 76, 1288.

